



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

112. Nvm Episcopus Vicarius Episcopi possit exercere pontificalia sine speciali mandato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

*c. quoniam, de off. ordinar. in 6. juxta l. sepe. & l. seq. ff. de off. praed. c. licet in corrigendis. de off. ordinar. & ibi Felin. n. 1. dictio enim illa etiam implicat Episcopum cognoscere posse jure ordinario. Fagnan. cit. n. 7.*

2. Respondeo secundò: dum Episcopus constituitur delegatus Papae in iis, in quibus jure ordinario ante Tridentinum non habebat facultatem, poterit in his quidem concedere Vicario suo hanc facultatem sibi spiritualiter attributam. Fagnan. l. cit. n. 8. & 9. potest enim delegatus à Principe subdelegare juxta cit. c. quoniam. & l. à Judice. c. de Juridicis. & in specie potest Episcopus, etiam à Sede Apostolica delegatam sibi causam subdelegare Vicario. Laym. in c. ult. de off. Vicar. in 6. n. 11. cum communi DD. in c. 3. de off. delegat. sub hac tamen limitatione, si nudum ministerium, seu executio sine causae cognitione mandata sit, ea subdelegari nequeat. Laym. l. cit. juxta c. ult. de off. delegat. Nequaquam tamen per generalem Vicarii constitutionem censetur in eum translata facultas hanc Episcopo competens speciali jure & tanquam delegatò. Fagn. n. 10. citatis Franc. in c. non putamus. de consuetud. in 6. n. 4. Dec. in c. quoniam. n. 19. & 20. & AA. in Clem. 2. de rescrip. in causa enim delegata non fit extensio à persona ad personam. Fagn. num. 11. citans Federic. de Senis. cons. 163. super invocatione n. 2. & c. edoceri. juncta gl. ult. de rescrip. neq; in causa delegata, ubi Episcopus procedit non ut Episcopus, sed ut delegatus. Fagn. n. 12. citans Dec. Guilielm. de Cuneo. Abb. in c. quoniam. Alex. in l. at quia. de jurisdic. omni. judic. uti nec è converso Vicarius causam sibi delegatam cognoscit ut Vicarius Episcopi, sed ut delegatus. Fagn. n. 15. Unde hæc delegata jurisdictio transit ad Capitulum Sede vacante. Fagn. num. 13. & apud illum ibi Felin. in c. eam re. de rescrip. n. 17. Abb. in c. cum olim. de majorit. & obedientia. q. 5. neque in delegata jurisdictio est unum & idem tribunal Episcopi & Vicarii. Fagn. num. 15. estque delegatus in causa sibi per Papam delegata major Ordinario. Fagnan. n. 16.

3. Respondeo Tertio: dum Episcopus quandoque expedire aliqua jubetur per dictionem tantum, vel solus, aut cum alia adjectione, quæ specialem Episcopi personam designando ceteros excludat, Vicarius quoque Episcopi censi debet exclusus; cum enim industria personæ censeatur electa, non poterit Episcopus negotium alteri demandare. Fagn. l. cit. num. 18. citans c. quoniam. de off. deleg. §. is autem. vers. propter quam. & ibi Glof. communiter approbata in v. inquisitionem. Laym. in c. ult. de off. Vicar. in 6. num. 11. quamvis & in hoc casu articulus aliquis causæ, v. g. testium examen alteri, v. g. Vicario suo committere possit. Laym. l. cit. citans Felin. in c. si pro debilitate. de off. deleg. n. 4. & Sbroz. l. 2. q. 43. n. 31.

### PARAGRAPHUS. III.

De potestate Vicarii exercendi Pontificalia, aliasque functiones Ecclesiasticas & Sacramentalia.

*Questio 112. Num Episcopus Vicarius Episcopi possit exercere Pontificalia sine speciali mandato?*

**R**espondeo primò supponendo, quòd si Episcopus assumat in Vicarium generalem, qui

est in ordine Episcopali constitutus, eum ex officio suo, & generali mandato non habere ampliorem potestatem, quam ceteri Vicarii non Episcopi. Azor. p. 2. l. 3. c. 45. q. 9. hinc jam

2. Respondeo secundò: non potest talis Vicarius Episcopus exercere Pontificalia sine speciali mandato. Pirh. ad tit. de off. Vicar. num. 48. Azor. l. cit. ubi ea, quæ sunt ordinis Episcopalis exercere nequit, nisi ei specialiter committat Episcopus. Unde nequit Ecclesias, Capellas, Oratoria consecrare, cæmeteria polluta expiare, ordines conferre, vel Sacramentum confirmationis ministrare, vel Christina conficere, vel oleum infirmorum sacrare, & etiam si Vicarius Archiepiscopi, non potest Abbates aut Abbatissas benedicere. Eadem ferè habet Pax Jord. l. 12. tit. 1. n. 192. citans Barbof. de potest. Episcopi. allegat. 54. n. 83. Ugolin. de Episc. c. 4. §. 7. n. 2. nisi quòd omittat de oleis consecrandis. Item Sbroz. l. 2. q. 6. per totam. & l. 2. q. 10. n. 6. & 7. ubi etiam singula seorsim stabilit auctoritate plurium Doctorum, & in super addit, quòd nequeat benedicere calicem & patenas, & quæcunque ornamenta Ecclesiastica, citra tamen corporalia, pro quo citat Cardin. in Clem. 2. de statu Monachor. Pavin. de capit. sed. vac. p. 1. q. 3. n. 1. Rebuff. in pr. tit. form. Vicar. n. 168. & seq. Item addit l. c. n. 2. quod Episcopus Vicarius generalis Archiepiscopi sine speciali mandato exercendi Pontificalia consecrare nequeat Suffraganeos. Contra Menoch. de arbit. Judic. l. 2. casu 22. num. 9. quatenus inquit Vicarium Episcopi (intellige, dum is est Episcopus) posse conferre ordines, Episcopo agente in remotis, adducendo pro hoc textum c. cum nullus. de tempore ordinar. in 6. quem tamen in hoc decipi ait Sbroz. l. cit. num. 11. cum textus ille non loquatur de collatione Ordinum; quia hæc collatio est ordinis Episcopalis, sed de licentia conferendi ordines, quæ à Vicario, etiam non Episcopo, concedi potest, Episcopo agente in remotis. Limitanda tamen est responsio; nisi Vicarius iste generalis Episcopus constitutus quoque esset Vicarius in Pontificalibus. Pirh. l. c.

3. Respondeo tertio: potest tamen Episcopus Vicario suo Episcopo committere ea, quæ sunt ordinis Episcopalis, & in specie omnia illa, quæ responsione præced. enumerata sunt. Sbroz. l. 1. q. 5. num. 10. ea enim, quæ sunt ordinis Episcopalis, delegari possunt. Sbroz. l. cit. num. 11. citatis Hostiens. in c. quod sedem. de off. ordinar. Abb. in c. his quæ. de majorit. & obedient. num. 3. Bertach. de Episc. in. de vita Episc. n. 12. in fin. Bursat. cons. 110. n. 12. in primo. Covar. &c. Et hinc à fortiore delegari possunt Vicario ab eo, si Episcopus est, exercenda cum Vicario (intellige etiam non Episcopo) quæ ab eo aliis delegari non possunt. Sbroz. l. cit. n. 2. citatis Felin. in c. quod sedem. n. 2. Covar. l. 3. Vicar. resolut. c. 20. n. 3. Riminald.

*Questio 113. An Episcopus Vicario suo non Episcopo committere ea possit, quæ sunt ordinis Episcopalis.*

**R**espondeo negativè: Sbroz. l. 2. q. 10. n. 3. citans c. à qua. de consecrat. Ecclesiar. & Altar. & ibi Abb. n. 2. & c. quanto. de consuetud. Anchar. in c. fin. de off. Vicar. in 6. col. 1. Gemin. num. 8. &c. Item l. 2. c. 5. n. 2. citatis in super pluribus aliis: eò quòd, quæ sunt ordinis Episcopalis, exerceri nequeant nisi per Episcopos. Et in specie, quòd Vicarius Episcopi (intellige non Episcopus) ea exercere nequeat, [intellige etiam de mandato speciali sui Episcopi] firma-